Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



MYCHEAS.

tuū. Audite tribus & quis ad pbabit illud. Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis. & mensura minor ira plena. Numquid justificabo stateram impiam. et sacculi ponderis dolosi. in quibus diuites eius repleti sunt iniqitate. & habitantes in ea loquebantur mendacium. & lingua eorum fraudulenta eorum in ore. Et ego cepi percutere te plaga super peccatis tuis. Tu comedes & non saturabis. & humiliatio tua in medio tui. Et apprehendes. & non salvabis. & quos salvaueris in gladium dabo. Tu seminabis & non metes. tu calcabis oliuam. & non ungeris oleo. & mustum & non bibes vinum. Et custodisti precepta amri. & omne opus domus achab. & ambulasti in voluntatibus eorum. ut darem te in perditionem. & habitantes in ea in sibilum. & opprobrium populi mei portabis. VII.

VE mihi quia factus sum sicut qui collegit in autumpno racemos vindemie. Non est botrus ad comedendum. pomum quod desiderauit anima mea. Perit sanctus de terra. & rectus in hominibus non est. Omnes in sanguine insidiantur. Vir fratrem suum venatur ad mortem. Malum manuum suarum dicunt bonum. Princeps postulat. & iudex in reddendo est. & magnus loquitur desiderium anime sue. & conturbauerunt eam. Qui optimus in eis est qui paliurus. & qui rectus est spina de sepe. Dies speculationis tue. visitacionis tua venit. nunc erit vastitas eorum. Nolite credere amico. & nolite confidere in duce. Ab ea que dormit. custodi claustra oris tui. quia filius contumeliam facit patri. filia consurgit adversus matrem suam. nurus contra socrum suam. inimici hominis domestici eius. Ego autem ad dominum aspiciam. & expectabo deum saluatorem meum. Audiet me deus meus.

ET lecetis Caplm. VIII.

Inimica mea super me. quia cecidi. consurgam. Cum sedero in tenebris. dominus lux mea est. Iram domini portabo quia peccauit ei. donec iudicet causam meam. & faciat iudicium meum. Educet me in lucem. videbo iustitias eius. Et aspiciet inimica mea. & operiet confusione. Que dicit ad me. Vbi est dominus deus tuus. Oculi mei videbunt in eam. Nunc erit in conculcationem. ut lutum platearum. Dies. ut edificentur maceries tue. In die illa longe fiet lex. In die illa adueniet assur. usque ad ciuitates munitas. & a ciuitatibus munitis. usque ad flumen. & ad mare de mari. & ad montem de monte. Et erit terra in desolatione. propter habitatores suos. & propter fructum cogitationum eorum. Pasce populum tuum in virga tua. gregem hereditatis tue. habitantes solos in saltu in medio carmeli. Pascent basan & galaad sicut dies antiquos. Secundum diem egressionis tue de terra egypti ostendam ei mirabilia. Videbunt gentes et confundentur super omnes fortitudine sua. Ponent super os manus. aures eorum surdi erunt. Lingent pulueem sicut serpentes. velut reptilia terre. Conturbabuntur de cedibus suis. dominum deum nostrum non desidabunt. & timebunt te. Quis deus similis tui.